



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XI. Hortatur ad tolerantiam, & remissionem Iniuriarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

tilissimis vocibus, orabit pro vobis: & reportabit lætum nuntium firmissimæ spei, & cælestis lætitiæ meæ. Beati illi, à quorum conspectu pauperes nunquã desolati recedunt. Beati qui gemitus egenorum nunquam repellunt, nec importunitate vincuntur. Beati qui miserando delectantur, quoniam mercedem magnam, mensuramque bonam, & confertam, & coagitatam recipient; & cum infinita consolatione, intrabunt in æternum gaudium Clementissimi Patris mei.

CAP. XI.

Hortatur ad tolerantiam, & remissionem Iniuriarum.

SI verè sapientes, ac beati esse desideratis, filij charissimi, scitote vos fore beatos, cum homines vobis maledixerint, & exprobrauerint, & dixerint omne malum aduersum vos, si patienter sustineatis, non reddentes malum pro malo, sed vincentes in bono malum. Hæc est altior mundo eruditio

mea, quam docui discipulos meos, factus opprobrium hominum, & postrema abiectio plebis. Hæc est prudentia Iustorum sæpè notata in dulcissimo testamento, & Euangelio meo. Cùm enim esse honore infinito dignus (quasi vnigenitus à Patre, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius) versus sum in parabolam ciuitatis regiæ, & sacerdotalis, quam dilexi. Veste alba, ad contemptum, indutus fui, & circumdatus purpureo vestimento, tenens sceptrum, arundinem, & coronam dolore, & irrisione plenam. Descendi ad postremam vilitatem, & abyssi operuerunt me. Quis hic cognosceret filium Dei Altissimi, inter impropria innumera-bilia, quæ ceciderunt super me? Scriptum est: Vidimus eum, & non erat ei aspectus, nequè decor, vnde nec reputauimus eum. Quid hic dicam de ignominiosa comparatione Barrabæ, cum Dei verbo, per quod facta sunt omnia? Quomodo optimates sanctæ Ciuitatis præposuerunt hominem seditiosum, latronem, & homicidam, Regi, Redemptori, & Deo suo? Sed nequè hic oppro-

opprobria mea cessauerunt: adhuc enim morienti caput agitantes insultabant, vt saturatus opprobriis interirem. Et tamen in omnibus his irrisionibus, quibus aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, non me vlcisci cogitavi, sed cor mitissimum exhibui, & infiniti amoris ostensione pro irrisoribus sanguinem meum, & supremas intercessionis voces ad Patrem misi. Hoc est exemplar, quod imitari debetis, filij, vt iniurias patienter feratis, & remittatis vnusquisque fratri suo, de cordibus vestris. Bibite mecum calicem improprij datum à me vobis in mensura: & opiniones hominum pro nihilo ducite. Quid interest, si vani homines malè de vobis sentiant, aut loquantur? Nunquid propterea delebo vos de libro vitæ, & honoribus æternis expoliabo? Si hominum contemptum mecum hilari vultu feratis, filij mei, nomen vestrum requiratur à generatione in generationem, laudesq; vestras suauissimè pronuntiabit Ecclesia. Et ego in regeneratione, cum venero in Maiestate, celebrabo clarissimas victorias vestras. CAP.